

Dissertatio inauguralis medica de cholelithis humanis ... / [Friedrich Ludwig Hochstetter].

Contributors

Hochstetter, Friedrich Ludwig, 1739-
Gmelin, Philipp Friedrich, 1721-1768.
Universität Tübingen.

Publication/Creation

Tubingae : Typis Sigmundianis, [1763]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ee7z3qzz>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE

QVAM
PERMITTENTE
GRATIOSA FACVLTATE MEDICA,
PRÆSIDE

MED. DOCT. BOT. ET CHEM. PROF. PVBL. ORD.
FACULT. MED. h. t. DECANO,
SOCC. REG. SCIENT. LONDIN. ET GOETTING. SODALI,
PATRONO AC PRÆCEPTORE SVO
ÆTERNVM PIE VENERANDO,


AD
CONSEQUENDOS SVMMOS IN MEDICINA HONORES
A. D. VIII. Januar. A. MDCCLXIII.

H. L. Q. C.

D E F E N D E T P V B L I C E

FRIDERICVS LVDOVICVS HOCHSTETTER,
Lauffensis.

TVBINGÆ, TYPIS SIGMVNDIANIS.





§. I.

Cholelithus est calculus felleus, vern. Gallenstein, Gal-
 lenblasenstein, vel *calculus*, concretum Naturalis Ani-
 malis, in cystide, seu vesicula fellea, quandoque du-
 ctu ejus, aut hepatico excretorio reperiundum, scribit de
 illo LINNÆUS a) *Calculus felleus*; Locus: cystis fellea, ho-
 minis, bovis, hystricis; constat lapillo flavo, polyedro,
 amaro, lævi, natante, addit: *Chocelithus* vulgo, sic & index
 vocabulum habet Chocelithus in editione utraque, putave-
 rim per errorem typographicum, cum nemo nesciat, bilem
 Græcis exprimi per χολή, unde Anatomici nomen habent:
 Ductus *Choledochus*, id est, *bilarius*, & BEZOLDUS b) voca-
 bulo Cholelithi jam ante 37. annos usus fuerit. Nobis hic
 sermo erit præcipuus de Cholelithis humanis, quos passim
 felleæ humanæ cystides, rarius earum, aut hepatici ductus
 excretorii exhibent, in transitu tamen tangemus etiam alios,
 quantum ad illustrandam horum historiam facient.

Definitio
Cholelitho-
rum.

§. 2.

Suggestit mihi Nobiliss. Dn. Candidatus elegantem val-
 de observationem, cholelithorum exempla illustria conti-
 nentem, a B. PARENTE, Med. D. peritissimo Medico &
 A 2 Phy-

Ratio &
casus de
scribend

a) Systemat. Naturæ, edit. sexta Holmiensi, & Lipsiensi anni 1748
 p. 195. nro. 4.

b) Dissert. de Cholelitho, Argentor. 1725

4

Physico Ord. Urbis Lauffensis & Beilsteinensis Ducatus Wirtembergici olim relictam, quæ præcipuam ipsi occasionem dedit hoc eligendi dissertationis argumentum, collegit alias duas e Theatro Anatomico Argentinenſi, cum elapſa hieme in Celebri, quæ Argentorati floret, Muſarum ſede commoraretur, multaque induſtria non tantum varia cum his lapillis experimenta inſtituit, verum etiam plurimo cum iudicio conſuluit de his præternaturalibus concrementis libros multos peritiſſimorum aliorum Medicorum, corraſurus inde materiam diſſertationis inauguralis, non quidem novam, quoad illam partem calculorum hiſtoricam, quæ proponit eorum geneſin, ſedem, numerum, gravitatem, figuram, colores, molem, aliasque qualitates externas ſenſibiles, ſaporem, odorem, & reliquas, cum hæc hiſtorica pars tantum non exhausta ſit a Scriptoribus Medicis, recentioribus vero meditationibus digniſſimam, cum exercitati Artis Maſtri fateantur: Diagnosi calculorum felleorum admodum difficilem eſſe; ita FRID. HOFFMANNUS Medic. ration. Syſt. T. IV. P. II. Sect. II. Cap II §. 1. ſcribit: uti vero interdum ægre admodum in ductibus, qui conſiſtunt, urinariis calculi, ſic longe difficiliori ratione bilioſi dignoſcuntur & dijudicantur, adeo, ut demum poſt ſectionem atrocium variorum ſymptomatum, quibus per longum tempus afflicti fuerunt ægri, cauſæ incognitæ in ſenſus incurrant. SENNERTUS vero L. III. Pr. Med. C. I p. 6. monet: Cognoſcuntur autem non facile veſiculæ felleæ calculi, & nihilominus varia ſæpe inducunt & gravia ſymptomata, ita, ut etiam peritiſſimi ſæpe Medici dubitent, unde illa proveniant? Cum vero præterea neminem fugiat, morborum therapiam ſaniorē niti ſolidiore diagnofi, vel cognitione profundiore cauſæ, cum obſervatio doceat, ſemioticam calculorum felleorum ideo facile fallere poſſe, quoniam multus iis, & familiaris intercedit cum aliis morbis hepaticis nexus, cum non minus excrucient hi calculi, ac illi veſicæ urinariæ, ac perinde



inde denique ad mortem ducant, ut monet Illustriſſ. HAL-
LERUS, c) cum, ut idem attentorum aures vellicat, noſtro-
ævo frequentiores veſicæ felleæ ſint calculi, parum veteri-
bus notus morbus, qui vero magis & magis, aut frequen-
tius ſævit, aut copioſius obſervatur, ut omnino, ſi frangen-
do veſicæ urinariæ calculo remedia ſunt excogitata, quili-
bet frequentiori adeo calculo felleo medelam opponere ali-
quam in maximis videat eſſe deſideriis, ipſamque mali fre-
quentiam, & vehementiam ſingulares provocare medicas cu-
ras. Quidni quæſo, ſive hos intuearis calculos, ut mor-
bos, ſive, ut morborum, & atrociffimorum ſymptomatum
cauſas, omni proſecto ex parte operæ pretium ſit, noſtram
ut iis conſecremus attentionem, vigiles de ſignis eorum, ſol-
liciti de remediis, quibus eliminari poſſint? Et in eo quidem
præcipuus diſſertationis hujus cardo vertetur; præmittemus
potiores *Obſervationes practicas* de calculis felleis, indicabi-
mus eorum geneſin, cauſas & effectus in corpus humanum
vivum, ſigna, e quibus aut præſentes, aut minæ imminen-
tium dignoſci poſſunt, ſubjungemus denique methodum,
qua vel deſtrui naſcentes, vel eliminari nati poſſint?

§. 3.

Primam obſervationem conſtituat merito ea, quam e Pa-
tria praxi ſuppeditavit Nobiliſſ. Dn. Candidatus, eſt hæc: Obſervatio-
nes medicæ
practicæ de
Cholelithis.
Die VII. Septembris anni 1749. juffu Magiſtratus Beilſteinen-
ſis cadaver mulieris ſeptuagenariæ, de qua memini, B. PA-
RENTM comperiſſe, quod ultimis vitæ annis continuo
vehementer ſitierit, & copioſiſſime biberit, ſpirituofis admo-
dum indulgens, ſubitanea morte vivis ereptæ, cultro ſubje-
ci anatomico. Aperto abdomine veſicula fellea tota quanta
calculis apparuit farcta; ſpectata propius, & diſſecta calcu-
los exhibuit numero CLXXXII. abſque omni bile. Hepar

A 3

ſatis

a) Programma de calculis felleis frequentioribus edit. Gœttingæ
1749. §. 2.



fatis naturaliter constitutum fuit; cutis, quantum a morte observari potuit, icteri nullum signum habuit, ipsi autem calculi diversæ fuerunt magnitudinis, alius irregulariter rotundus, parum angulosus ad magnitudinem avellanæ minoris accessit, alius eadem figura manente, majoris Zeæ grani magnitudinem habuit, reliqui fere omnes, paulo minores descriptis, figuræ variæ angulosæ, nunc s. 6. 7. & 8. angulorum, magnitudinem observant eandem. Color lapillorum extus proxime accedit ad matrem perlarum, interior autem nucleus e flavo nigricat. Ad tactum lapilli sunt duriores, & instar spermatis ceti unctuarii; pondere leves, & in aquam projecti, majores etiam fundum minime petunt, sed supernatant. Super lingua detenti, dentibusque comminuti saporem habent molliusculum, quasi butyraceum, absque amarore, præsertim in cortice, seu stratis extimis, nucleus autem attentius gustu exploratus, amarus est, & simul subdulcis cum levissima quadam adstrictione. Prunis injecti lapilli facile liquefcunt, tumque fumum emittunt multum cum foetore quasi urinoso, nullo relicto carbone; in lamina ferrea candente mox ceræ ad instar fluunt, abeuntque in liquorem flavescentem cum simili foetore urinoso. Flammam non concipiunt, nec prunis injecti, nec admoti candelæ, diffuunt saltem utrobique ad modum ceræ, ut super lamina ignita. Tentavi solutionem horum calculorum vario modo, diversisque in menstruis, omni autem absque successu, frustula enim in Spiritum Vini rectificatum, aquam tepidam simplicem, oleum tartari per deliq. spiritum salis acidum, & Salis Ammoniaci, spiritum Vitrioli coniecta, ibidemque per aliquod relicta temporis spatium, nullam ebullitionem, quæ solutiones hujus generis comitari solet, oculis conspicuam præbuere, neque liquores inde notabilem contraxere tincturam, multo minus lapilli per se plane dissolvi sunt. In uno alteroque liquore plus minus molliores evaserunt, v. c. in aqua & Spiritu Vini, quibus macerati e levissima digito-
rum

rum pressione mox in croceum abierunt liquamen, nihil tamen sponte mutati, quasi prorsus intacti jacerent, in ipso menstruo, quod circumfluebat. Et hæc quidem prima est observatio, ipsis Nobiliss. Dn. Candidati verbis expressa.

§. 4.

Sequantur reliquæ binæ Argentorati elapso demum anno collectæ: Transferebatur ibi e Xenodochio Civitatis in Theatrum Anatomicorum die XV. Februarii cadaver feminae 50. circiter annorum, nescio quo morbo defunctæ, quod, ut alia viscera, sic hepar etiam præparandi causa cultro subjeci anatomico. Inveni hepatis lobum dextrum admodum magnum, sinistrum figura exacte suillum referentem lienem, substantiam hepatis ipsam salvam, sanamque ceterum. Omnes ductus bilarii continebant bilem, & hepaticus satis amplus fuit. Vesicula fellea primo statim intuitu magnam calculorum quantitatem cavo suo inclusam obtulit, ipsiusque cystidis color non flavus, sed ob deficientem bilem satis albus fuit; capacitas vesiculæ multum consuetam, naturalem superavit, flatuque distenta plurimum increvit. Discissa vesicula dedit calculos numero CLXXX, partim triangulares, partim quinquangulares, alios etiam hexagonos, & heptagonos, anguli nigricabant, reliqua superficies nitore argenteo ad matrem perlarum accedebat, in aquam frigidam injecti plurimam nigredinem exuerunt, aquam autem notabili tinxerunt flavedine. Maximus horum calculorum æquavit majus Zeæ granum, reliqui minores fuerunt. Neque hoc cadaver ullibi per epidermidem ictericæ flavedinis vel umbram habuit. Tertiam Observationem obtulit Argentorati D. IX. Martii 1762. cadaver feminae annorum circiter 55, mirum in modum obesum, sed expers pariter omnis ictericæ flavedinis. Fuit cadaver hoc sub cultro anatomico Amici mei & Commilitonis dulcissimi, Dn. de Olnhausen, Medicinæ Candidati, eodem mecum tempore Argentorati studiorum causa viventis, exhibuit calculum vesicæ felleæ

Continuatæ
Observationes
Cholelithorum.



volumine parvum ovum columbinum, pondere duas circiter drachmas cum dimidia æquantem, figura fuit ex oblongo rotunda, paucasque habuit impressiones superficiales, color fuit e nigro flavus. Vesicula fellea ipsa bile non vacua quidem prorsus, paucissimam tamen continens, diametro superavit cystidem prioris exempli. Calculus autem cum illis mediæ observationis asservatur in Museo Anatomico Argentoratensi, quam ob causam mihi non licuit, experimenta cum istis instituere, quibus eorum indolem profundius expiscari potuissem.

§. 5.

Alia Chole-
lithorum
exempla.

Subjungemus vero nunc etiam exempla peregrina, quæ copiose alii subministrant Auctores; multitudo enim, & diversitas horum certiore firmabit calculorum horum ideam, atque secuturis meditationibus limites ponet, ne præcipites in avia quævis evagari possint. Multa nobis proponit FISCHERUS *d)* quæ inter maxime memorabilis est casus juvenulæ. futoris filiæ, quæ post mortem vesiculam felleam exhibuit bene magnam, & bile alba, tenui, fluxili, aquea, insipida & inodora turgidam, intus autem novem onustam calculis magnitudine seminis phaseoli, præterea vero copiosam ejusmodi arenam sabulosam, piscium ovulis non male comparandam. Sed addit eadem dissertatio alia exempla, ut illud, quod habet SORBAIT, Oper. Med. Tract. VI. Cap. V. de calculis aliquot hujus generis per alvum excretis, pondere levissimis, & aquæ innatantibus; porro DILLENII observationem e Misc. Nat. Cur. Dec. III. A. IX, & X. de femina iëterico-colica, quæ cum stridore per alvum excrevit lapillos plusculos, fulvos omnino, ac si bile tincti essent; historiam plusquam 30. calculorum triangularium, cum copiosissima materie arenosa granulata excretorum per alvum femi-

d) Dissert. de Calcul. in Vesica fellea repertis sub Præsid. D. *Elia Camerarii* Tubing. 1724.



feminæ septuagenariæ post atroces dolores colicos, & icterum tandem enatum, obviam in dissertatione Celeberrimi olim Vniversitatis hujus Medicinæ Prof. GEORG. BALTHAS. METZGERI, *e)* lapillos præterea felleæ cystidis numero 72. coloris e flavo nigri, magnitudine minorum fabarum & pisorum, repertos teste BEKERO in Misc. Nat. Cur. Dec. I. A. I. O. XLIV. in cadavere Archiatri Cæsarei, confecti fere atrocissimis doloribus ischiadicis, asthma item & orthopnœa, tandem extincti cum ictero superveniente, quem casum analogum judicat dissertationis Auctor illi BONETI, quem recenset Anat. Pract. L. III. Sect. 18. ubi similes calculi reperti fuerunt in sexagenaria vetula Bononienſi, quæ diutissime auriginoso laboravit morbo; accedunt ex eodem BONETI loco lapides *cærulei*, qui a potiori dicuntur splendidi, angulosi, & superficietenus ita inter se cohærentes, ut unicus modo lapis primum visentibus judicatus fuerit, reperti omnes in vesicula fellea feminæ, pertinaci tandem ictero necatæ; alius, eodem referente BONETO Sepulchr. L. III. Sect. XIX. Cap. 27. ibidem repertus, orbicularis, e novem aliis, figuræ triangularis, sibimet invicem incumbentibus constans lapillis, coloris subviridis, & splendentis. Vterius GEORG. SCARPII, Prof. Reg. Academ. Monspel. lapilli XXX. instar *Carbunculi pellucidi*, & in vesicula reperiundi bilaria dissecti quondam liëtoris; HAGENDORNII lapilli felleæ cystidis, e viridi nigricantes, pondere levissimi, sapore amaricantes, magnitudine nucis Moschatæ minoris, descripti prolixè in SCARPII Histor. Med. Phys. Cent. XI. histor. 8. Vti vicissim gypseos tales, & candicantes fuisse repertos docet Obs. 77. Miscell. Natur. Cur. Dec II. Ann. V. Exemplum itidem Alex. Deodati, qui tres deprehendit in vesicula dicta lapides castaneam æquantes, figura triquetra, nigros, & gagatem referentes, ut FABR. HILBAN. Observ. 60. Cent. I. alium invenit, & re-

B

cen-

e) Scrutinium *λιδωρεσίας* in humano Corpore, Tubing. 1685. Resp. Jo. Vlr. Schmidlin, Stuttg.



consuit nucis juglandis magnitudine, una ex parte nigrum, ex altera croceum. Maximæ molis calculum narrat TIMÆUS a GULDENKLEE L. III. Cap. 28. qui totam fere cystidem repleverit, ex ægro post diuturnos dolores arthriticos primo in icterum incurabilem, post ascitem lapso, cui addi potest MOEBII exemplum Physiolog. Med. Cap. 15. aliudque, quod ansam dedisse videtur libello, cui titulus: Lithographia curiosa, quem edidit GODOFR. STEIN, Archiater Brandenburgicus, nec minus observatio B. WEPFERI, quam de Virgine habet in Misc. Nat. Cur. D. III. A. II. nro. CXLIX. de ilei fistula, extra ipsum abdomen pervia, ubi scilicet in cadavere duos invenit etiam calculos felleos, magnitudine moschatae nucis, ex oblongo rotundos, levissimos, flavescetes, *cretaceos*. Pertinet etiam huc historia calculorum cystidis felleæ, quos HELDIUS Misc. Nat. Cur. Cent. III. A. IV. O. CXLIX. Apoplexiæ auctores accusat, conformiter illis, quæ suo in ægroto, prout habent eadem Miscell. Nat. Cur. Cent. I. & II. Obs. LVII. GERBESIVS observavit.

§. 6.

Calculorum
felleorum
specimina
plura.

Sed plura habentur calculorum horum exempla; ita iudicio & experientia clarus Dn. JO. FRID. MOSEDER *f*) observationem allegat e cadavere vetulæ, marasmo defunctæ, cujus vesicula 2. habebat calculos, pondere scrupuli dimidii, colore, figura, & magnitudine fructum pruni silvestris exsiccati æquantes; aliam e subjecto muliebri, cujus vesicula fellea, valde compressa, figuram, & magnitudinem pruni dulcis exsiccati retulit, & multis concrementis calculosis colore, figura, & magnitudine a se invicem diversis, ingluviei gallinæ instar farcta fuit, post exsiccationem ponderis drachmæ unius; tertiam e cadavere vetulæ, in quo cystis biliaria deficere visa est, & in ista hepatis parte, cui alias adhærere solet,

f) Dissert. de Vesicula fellea, Argentorati ventilata 1742.



let, nonnisi parvus adfuit nodulus, undecim calculos flavos, magnitudine sua parvos granatorum lapillos, & pondere grana duo æquantes continens, bilis nulla, quam quæ calculis adhærendo eosdem humectavit. Adjicit §. 26. ejusdem dissertationis exempla cretaceorum, & gypseorum, quales tres insipidos invenit Dn. HOMMEL in vesicula vetulæ fellea valde contracta & exigua, quorum unus in fundo, reliqui 2. in collo hospitabantur; aliorum nigrorum, porro plurium granorum parvorum piciformium, vesiculæ admodum magnæ fundo, versus collum recurvato, & intus plica quadam semilunari a reliquo corpore separato inclusorum; aliorum flavescensium e folliculo felleo viri cujusdam, qui reperti sunt numero 2. cylindrum in medio sectum referentes; porro cysticorum fuscorum, numero sex, pentagonorum, lævium, drachmæ unius & quindecim granorum ponderis; duorum subrotundorum, pluribus coloribus variegatorum, ad tactum saponaceorum, coloris variegati, ex albo cinerei, scrupulum pendentium, e folliculo bilario mulieris, magnæ quantitati humoris subflavi, bilem referentis innatantium. Calculi ovalis, copiosis conspicui tuberculis, granis albicantibus obfritis, post exsiccationem scrupulos æquantis pondere duos cum dimidio; sedecim calculorum octangularem ex alia vesicula fellea, politorum, matris perlarum instar splendentium, pondere uncie dimidiæ, quorum quatuor majores magis obscuri, reliqui minores magis albicantes fuerunt; calculi vesiculæ felleæ, figura sua cucurbitam lagenariam referentis, in uno latere sex apophyses calculosas habentis, & capacitati fundi vesiculæ respondentis, qui colore obscure flavus multis micis, spiculorum salinorum instar splendentibus conspersus, post exsiccationem drachmas tres cum scrupulo pendebat, & in parte superiore, qua supra portionem vesiculæ angustatam, cavitatem quandam glenoideam habebat, pro receptione calculi minoris granorum octo, qui libere fluctuare poterat in superiore vesiculæ parte; trecentorum & septendecim



calculorum pyramidalium, in una, eademque vesicula fellea mulieris repertorum, quorum maximi, albicantes nucem avellanam, minimi vero fusci uvarum arillos æquaverunt magnitudine; quatuor asperorum, angulorum, spinosorum, spadiceorum e vesicula fellea Senis ex observatione Dn. HOMMEL.

§. 7.

Necdum vero horum calculorum exhausta est historia, alia enim exempla plurima congesta legas a Jo. ERNEST. BERNH. SALZERO, Bretta-Palatino g). Occurrit ibi p. 6. exemplum fabulosæ, crassæ, obscure flavæ bilis cum tribus lapillis subrotundis, angulosis, e fusco nigricantibus, e quibus major pondus duarum drachmarum, minor unius, & minimus granorum septem habuit, in folliculo felleo Perillustri Militum Ducis valde obesi, & in ipso febris tertianæ duplicis paroxysmo apoplectice mortuo. Aliud e cadavere Illustr. Comitis ingruente senio podagra nodosa laborantis, & apoplexia extincti, cujus fellea cystitis non tantum arenulis permixtam bilem habuit, sed & calculum ex oblongo rotundum, nigricantem & friabilem quinque drachmarum. Addit alia testimonia: Lapillos aliquot minutos & friabiles, betæ semen colore, magnitudine, figuraque quodammodo referentes in hydropicæ cystide fellea inventos refert J. C. PEYER, Parerg. Anat. 6. grumis nigricantibus, lapillisque pisorum magnitudine, bilis liberum transitum impredientibus refertam vidit vesiculam THOM. BARTHOL. Cent. I. histor. anat. 80. In cadavere mulieris Lipsiæ decollatæ, folliculi bilis plures & majores & minores calculos absque icteri vestigio describit Ettmull. Oper. Pract. Cap. de ictero; consimiles in quodam icterico hydropico repertos testatur MOEBIUS Fundam. Med. Phys. Cap. 14 p. 37. ut & in alio, cui icterus cum obstructione lienis mortem intulit, referente BLAN-

g) Disputat. de coagulo bilis in vesicula fellea, Heidelbergæ 1714. ventilata.

BLANCARDO, Anat. Pract. Cent. 2. Obs. 47. Conf. CAR. PISO, de serosa colluvie S. 2. part. 2. cap. 4. Obs. 17. p. 97. Miscell. Nat. Cur. Dec. I. A. I. observ. 44. & 129. item A. 9. & 10. observ. 81. Amygdalæ magnitudine lapidem in fellea cystide icterici observatum notat BORELL. Cent. I. obs. 4. & alium instar nucis moschatae in sene cachectico WEPFERUS, Tract. de Apoplexia, p. 374. calculum ovi columbini, ut & avellanæ magnitudine friabilem, & pellucidum e vesicula fellea desumptum e Zodiaco Med. Gall. recenset BLANCARD in Collect. Med. Phys. P. I. Cent. I. obs. 43. Duos hujus generis lapillos atros, & angulosos in viro sopore præternaturali defuncto vidit HOECHSTETTER, Dec. 10. observ. med. 6. totidem duos, nigros, & veluti scintillantes, quorum alter magnitudinem ovi columbini habebat, alter paulo minor erat in vesicula fellea obesi, apoplexia extincti, Baglivus invenit, & narrat. oper. omn. Dissert. III. p. 433. Duos satis grandes, bezoardicis fere similes e cystide fellea feminae vomitu, torminibus ventris distentione flatulenta, crebrisque animi deliquiis diu vexata, ex observat. BLANCARD. l. c. part. I. Cent. 3. obs. 96. Tres justæ molis calculos in vesicula bilis defuncti FRIDERICI, Electoris Saxoniae repertos, ut habet JO. LANGIUS l. 2. epist. med. 57. Ejusdem numeri splendentes, & nigricantes magnitudine nucis moschatae in Illustri Matrona diu dextri hypochondrii doloribus continuis, gravativis vexata, teste GOECKELIO, Gallicin. Med. Pract. Cent. 2. obs. 99. Quatuor virides, & nigricantes in vesicula fellea hydropicæ, JO. RHODIUS in Mantiss. observ. anatom. obs. 23. Quinque in ægri colica cum ictero laborantis, & post longum usum chalybeatorum, & amarorum vivis erepti, vesicula, qui aquæ immissi ceciderunt, & ulterius explorati magnetem secuti sunt, teste Dolæo. Decem nitentes, flavos & subobscuros, figuræ quodammodo triangularis, magnitudine fabæ, in Apoplectico repertos, ut habet BORELLUS Cent. 3. observ. med. 22. Quindecim multangulares, diversæ magnitudinis, glabros,



nigricantes, striis flavescentibus distinctos, cortice duriusculo, nucleo friabili e corpore feminae obesae. Ultra 30. lapillos variae formae, diversique coloris, quorum unus moschata nuce major, in cystide fellea feminae chronico morbo confectae haesit, observavit FRID. DECKERUS Exercit. Pract. p. 229. Quinquaginta calculos nigricantes, a potiori quadrangulares, & ejusdem fere magnitudinis, unciam dimidiam, tresque drachmas pendentes HELDIUS invenit in vesica fellea Serenissimi cujusdam senis Principis; 72. pisiformes ex icterici vesicula fellea, ductibusque bilariis erutos testatur BLANCARDUS Anat. Pract. Cent. I. obs. 47. Septuaginta quinque quadratos a G. PATINO visos in octogenaria refert HORSTIUS in Manuduct. ad Med. p. I. Cap. I. Sect. 3. p. 104. ubi plura hujusmodi exempla recenset, plusquam 90. magnitudine fabarum, angulosos, anomalos, tactu molliusculos; ab aqua calida pene colliquescentes in folliculo bilis mulierculae invenit FR. DE LE BOE Sylvius, ultra 100. spongiosos, aquae innatantes, & post eadem saburratos subsidentes, ex ictericae biliaria extractos cystide, alibique 124. quadratos, ejusdem fere magnitudinis & crassitie, cinerei coloris inde promptos tradit W. ten RHYNE Medit. in Hippocr. de veter. Medic. p. 222. seq. Centum & sexaginta tri- & quadrangulares ex icterico-hydrica descripsit DECKER, l. c. p. 689. Lapillos, plus quam 200. quadrangulares, partim cineritios, partim subflavos, & auro quasi micantes in vesica fellea viri nobilis, atrophia consumti describit HORSTIUS Epist. Med. l. 2. S. 5. p. 454. seq. Ultra 300. instar pisorum in Civis Jenensis vesicula bilis valde distenta, post diu toleratos maximos in parte affecta dolores & ardores describit FRID. HOFFMANNUS in not. ad Poter. obs. med. Cent. 3. cap. 23. Celebris autem Practicus STORCH, Commenc. Litter. Noric. ann. 1735. hebdom. 52. Nobilis exemplum habet, cadaveris septuagenarii, obesi, cujus vesicula fellea, hepate toto quanto sano, exhibuit calculos nigricantes, splend-

dentes, leviores, partim nigros, partim luteos, quorum
 ultra 2000. numerabantur, 10. eorum castaneam æquabant
 minorem, 20. & plures pisum, reliqui ciceris & napi semi-
 nis figuram & magnitudinem referebant. Lapillos flavescen-
 tes, & subrotundos, angulososque, pisco majores, & mino-
 res ex abscessu hepatis ad hypochondrium dextrum sub co-
 stis spuris sponte apertum, una cum ichore bilioso diversi
 coloris successively prodire cum ægrotantis ictericæ levamine
 non exiguo, successively plus quam 300. retulit Clariss. Dn.
 HUXHOLZ, Archiater Hasso-Cassellanus. Ita innumeros
 calculos biliosos, pisi, vel hordei magnitudine post diutur-
 num icterum subito alvi profluvio a multis excretos FER-
 NELIUS observavit, L. 6. de morbis partium sub diaphrag-
 mate cap. 5. Tales HORSTIUS Epist. Med. L. II. Sect. 5. p.
 453. numero plures instar fabarum a Patruo suo cum excre-
 mentis alvinis rejectos fuisse indicat, ut idem in aliis obser-
 vavit J. C. LANGIUS, Oper. Posthum. P. II. fol. 3. in anno-
 tat. Tres avellanæ mole, trigoni, leviores de septuagenaria
 prodire, præcedente, atque comitante dolore dextri lateris
 ad intestina protrusi, per anum excretos memorat TH.
 BARTHOLINUS Cent. 4. histor. anatom. 49. Calculum nu-
 cis juglandis magnitudine durissimum in vesica fellea cache-
 ctici defuncti reperit G. FABRIC. HILDANUS Cent. I.
 obs. 60. Idem vero Cent. 4. obs. 45. duos molliores, eosque
 satis magnos, pondere alterum oblongum 14. drachmarum,
 alterum rotundum, quatuor cum dimidia drachmarum in alio
 fene vidit. Ejusdem fere magnitudinis alium friabilem, &
 subfuscum e cystide fellea Civis Heidelbergensis excisum
 describunt. Misc. Nat. Curios. Dec. II. Ann. 6. obs. 194. Coa-
 gulum bilis omnem ejus vesiculam occupans in arthritico
 icterico, & tandem ascitico describit TIMÆUS A GULDEN-
 KLEE L. III. Cas. Med. 28. ut & in fene iracundiæ dedito, re-
 ferente FERNELIO, l. c. nec non in femina tabe defuncta,
 BLANCARD. Anat. Pract. Cent. II, obs. 24. Add. GREG.
 HOR-



HORSTII Epist. med. l. c. p. 458. Misc. Nat. Curios. Dec. I. A. 3. obs. 206. Lapidem *pellucidum*, folliculum bilis feminae cancro uteri exulcerato extinctae replentem, ac distendentem, *crystalli* ad instar clarum Scultetus habet in Armament. Chirurg. obs. 61.

§. 8.

Memorabilis etiam est observatio, qua Celebris ABRAH.

Ultima cal-
culorum fel-
licorum ex-
empla.

VATER h) refert: Duos calculos bilarios insignes per alvum feminae, 50. circiter annorum excretos per supervenientem diarrhoeam, postquam diu ante dysuriam, & stranguriam passa esset cum horroribus, & calore febrili alternantibus, doloribus capitis & artuum, deliriis, anorexia &c. Secessit autem primo calculus major, unde diu ante sinistra lumborum regio doluit, post autem dolor lumborum regioni dextrae insedit soli, solutus cum 14. circiter diebus ab excretionem primi calculi, praeviis & recurrentibus atrocioribus doloribus torminosis minor etiam calculus alvo eliminaretur. Diu ab eo tempore satis bene valuit, denique vero incurrit pedum tumorem oedematofum, cachexiae indicem, & hydropis prodromum. Aliud exemplum e cadavere feminae decollatae proposuit Dn. STROEHLIN i) ubi fellea cystis multis referta observabatur calculis, quorum 4. fabis minoribus, 12. pisib, ultra 50. autem seminibus cannabis aequales erant. Memorat etiam ibi dissertationis §. 8. differentias cysticorum ab hepaticis, his sedem assignat in ramis ductus hepatici, cum cystici ut plurimum ipsam cystidem occupent, hepaticos porro addit, cysticis longe molliores esse, substantiae quasi butyraceae, coloris magis flavi, & ei similis, qui saepe intus in cysticis apparet, nunquam etiam in hepaticis tam varii miscentur inter se colores, levitas tanta est, ut

b) Dissert. continente observationes rarissimas, calculorum in corpore humano generationem illustrantes, Respond. *Christ. Anton Ziegenborn*, ventilata Wittenbergae 1726.

i) Dissert. de calculis bilariis, Praef. *Teichmeyero*, Jenae 1742.

ut calculus aquæ tantum non semper innatet, cysticus autem quandoque fundum petit. Fusius has differentias exposuit clariss. BIANCHI ^{k)} solidos nimirum, & in densum concretos corpus, verum æmulantes lapidem, aut tophum, bilis folliculum ordinario inhabitare scribit, non semel propriam hepatis substantiam; alios lapidis laminam, seu tanquam crustam fistulæ lapideam, aut ultimo solidescentem, obtensam præ se ferentes tunicam alveos excernentium tantum ductuum, seu biliferorum circumsepire, rarius autem notat in hominibus observabiles esse, utrosque oriri e biliosis particulis in durum concrenentibus, & tanquam vitrificatis. Proponit etiam clariss. Auctor hic eodem loco a §. 3-8. lectu dignissimos casus calculorum, ut majoris, juglandem superantis magnitudine cum ictero, qui calculo per alvum excreto evanuit; calculorum plus quam 300. e rubro flavescientium post hypochondrii, vel epigastrii potius dextri tumorem, cute icteritia per alvum excretorum, ægro convalescente, ex observatione ROSINI LENTILII, Archiatri Wirtemb. e cujus etiam Jatromnematibus extrahuntur descripti calculi ultra 100. e rufo flavescences, ex abscessu septuagenariæ lateris dextri excreti cum pure, abscessus autem fuit hepatis; & calculi, folliculi fellis, misera ex hydrope occubuit; additur exemplum e *Benivenio de abditis*, mulieris dolore calculi prostratæ, cujus cadaver exhibuit lapides quamplurimos, non quidem ullum in vesica, sed præter unum in tunica bursulæ fellis, atrum, magnitudine castaneæ aridæ, omnes in panniculo, quo contegitur hepar, unde quoque, velut in folliculo dependuli sacculum effecerant; REVERHORSTIUS describit calculos parvos, & rotundos, non tantum in cysti fellea, sed & per hepaticum ductum, & melius per poros altiores bilarios in his fistulis nidulantes; ipse BIANCHI casum proponit e propria praxi mulieris post ischuriam ictericæ, cujus cadaver præter calculos renales pluri-

C

mos,

^{k)} Jo. Bapt. Bianchi Historia hepatica, Tom. I. P. II. cap. II. p. 187. seqq. edit. Genev. 1725



mos, exhibuit cysticos quam plurimos, & hepaticos, figura, mole, pondere, consistentia, & inflammabilitate dissimiles; adjungit observationem REALDI COLUMBI, qui Romæ in ipsa vena portæ cadaveris sancti IGNATII 3. invenit calculos biliosos, ut habetur ex ejus vita. Pertinent porro ad hanc cholelithorum historiam observatio Celeberr. WEITBRECHTI in Commercio litterar. Norico l) consignata, qua in cystide fellea cadaveris viri apoplexia extincti, olim icterici 10. lapillos invenit flavos, angulosos, lævigatos, 2. magnitudine nucis moschatae majoris, reliquos 8. ut ciceris grana, omnes in aqua subsidentes, ut exemit, sed siccatos leviores. Plures casus calculorum idem Commmercium litterarium alibi refert, m) describunt analogæ illis Eruditorum Ephemerides, ut illæ Acad. Cæsar. Natur. Curios. Dec. I. ann. 1. obs 44. p. 17. Acta Eruditorum Supplem. Tom. X. Sect. IX. p. 408. Miscellanea Vratislaviensia, obs. 129. p. 253. Acta Medico-Physica Berolinensia, P. I. vol. V. p. 90. SCHENKIUS L. III. p. 460. G.W. WEDELIUS, in dissert. de hyperico, p. 20. seq. LANCISIUS de moribus subitaneis, p. 251. FRID. HOFFMANNUS Med. Consult. P. II. Dec. V. Cas. IX. p. 261. omnes tamen observatores consentiunt, rarius in ipsa hepatis substantia generari, frequentiores multo in ipsa vesicula reperiri fellea, & passim ductibus excretoriis. Notabilia etiam exempla continet Dissertatio Simson Davids n) & alia, quæ pariter Lugduni Batavorum prodiit o) nec non Vateriana, edita Wittenbergæ p) calculos etiam duos insignes ex aperto cadavere protractos describit GE. BAGLIVUS q). Recentissimus scriptor, Practicus acutissimus, ANTON. DE HAEN r) memorat observa-

tam

l) Ann. 1734. hebd. IX. obs. II. p. 65.

m) Ann. 1735. hebdom. 52.

& 50. item: Ann. 1739. hebd. 36. p. 281.

n) de calculis cysticis

& hepaticis, Leidæ, 1734.

o) Diss. de Lithiasi fellea, seu calculo vesicæ biliaræ, Auctore Christ. Stephan Scheffel 1721.

p) Dissert. de calculi in vesica fellea generatione, 1722.

q) Oper. omn.

medico-pract. & anat. Antwerp. 1715. editor. Dissert. III. p. 433.

r) P. IV. Ration. med. quæ prodiit Vindobonæ 1759. cap. II. de aneurysmate p. 21.

ram vesiculam felleam in 7. loculos membranaceos divisam, quorum quisque magnum gereret lapidem. Illustris ab HAL-
LER in Programmate not. c. laudato plura cumulat ex auto-
psia propria exempla, duos molles, albos, cretaceos, leves,
avellanæ mole, sub cortice suo satis virides, quæ viriditas
in flavedinem abiit absque ictero cadaveris, 15. alios in ca-
davere ictericæ, nigros, leves, e cadavere hypochondriaci
majorem, olivæ magnitudine, variegatum, alium rotundum,
mori forma, undique tuberculosum e cadavere infanticidæ;
in cadavere feminæ aquis suffocatæ vesiculam plenam calcu-
lis, ægre numerabilibus, tessulatis, triquetris, angulosis mi-
noribus, in cadavere suspensæ calculos 11. in choledoch-
ductu 1. in aditu cystici 3. omnes mori forma, & multis quasi
acinis compositos, pene rotundos, crytalli modo micantes,
& semipellucidos; calculos felleos subinde per ulcus in epi-
gastrio sponte obortum cum sanie prodeuntes; majorem de-
nique, perfecte ovalem, lignei coloris, & solidum, modice
subasperum, ad ipsum vesiculæ modulum expressum, unciali
longiorem, qui hæsit in media putrilagine vesiculæ felleæ in
totum putredine consumptæ cum magna hepatis parte, febre
homo ille fuit extinctus acuta, inflammatoria cum perpetuis
vomitus, ictero nigro, pressione in cordis scrobiculo.
Sed hæc quidem jam enarrasse sufficiat calculorum felleorum
exempla!

§. 9.

Ex his vero præmissis haud obscure intelligas, calculos
hos, prout ab illis renum & vesicæ urinariæ manifesto diffe-
runt materia, situ, gravitate, forma, sapore, nec non effe-
ctibus, & symptomatibus, ita etiam inter se haud parum
discrepare, figura, magnitudine, colore, consistentia, pon-
dere, numero, superficie, densitate, quare nec mireris, li-
cet una eademque sit procul dubio materia, e qua generan-
tur, quoad præcipua elementa, quod eorum tamen qualita-
tes externæ sensibiles, quarum plurimas describit HEYMAN-

Calculorum
felleorum
diversitates



NUS s) innumeris modis variant, ac effectus & eventus experimentorum cum illis institutorum, admodum diversus & inconstans observetur, absque omni artificum culpa, & poterit forte in sequentibus ratio inveniri hujus discriminis?

§. 10.

eorundem
calculorum
materia ea-
dem; ratio
reliqui di-
criminis.

Esse autem unam eandemque calculorum horum materiam, quis dubitet? cum una sit eorum, eaque constantissima sedes in folliculo bilis, cum hujus consistentia sit naturaliter in folliculo spissior, indoles ad præternaturalem densitatem admodum prona, ita quidem, ut facile ars imitari possit inspissatione simplici analogia coagula, cum physiologica rationes motus sanguinis, qui bilis materiam ad hepar affert, adeo faveant condensationi & stagnationi, nisi quidem omnes œconomiae reliquæ animalis conditiones, ut in sano faciunt, continuam fluiditatem conservent, cum plurimi certe calculi fellei habeant eminentes bilis spissioris qualitates, amarorem, vestigia olei prædominantis, unctuositatem, inflammabilitatem, saponaceam indolem. Accidentaliter enim esse illa phænomena, quæ causantur, ut *concrementa* hæc *biliosa* nunc appareant, densiora, magis compacta, nunc laxiora, magis friabilia, molliora, nunc sic, nunc aliter figurata, magis minusve amara, cretacea modo & gypsea, modo menstruæ virtuti liquorum aqueorum, salinorum varii generis, & spirituosorum magis minusve obsequiosa, quandoque sponte liquescentia, modo pellucidiora, vel obscuriora, nunc hoc, nunc illo, nunc utroque, nunc pluribus ludentia coloribus, modo solitaria, majoris voluminis, modo discreta minoris, mediæ, minimæ magnitudinis, facile intelligat is, qui cogitat, innumeras esse posse, ut materiæ bilis, sic ipsius jam natæ pro variis ægrorum conditionibus degeneraciones, multis modis mutatas pressiones, & modificationes concremen-

*) Commentaria in *Hermani Boerhaave* Instit. med. Ann. 1742. P. VII. de Act. Hepat. p. 278. seqq. quorsum iisdem verbis translata est historia e Differt. *Jacob. de Vischer*, Leidenensis de *Χοληπτοιμοι*, quæ prodit Lugd. Bat. 1735. p. 50. seqq.



mentorum jam nascentium & natorum', e varia resorptione, tenuiorum liquidorum, glutinosorum admixtione, partium aut aquearum, oleosarum, aut salinarum terrestrium diversa proportionem, vel prædominante, vel imminuta, taceo mutationes innumeras, quibus ea concrementa e capacitate individuali folliculi, & ductuum biliariorum, e vitæ genere multoties mutato, nec non affluxu & velocitate humorum, actionibus diaphragmatis, & musculorum abdominalium, viscerumque circumjacentium, sub vario situ corporis erecti, sedentis, cubantis, flexi, nunc per vitam sedentariam, nunc vitæ genus magis activum, nunc per accedentes respirationis intentiones, & difficultates mutatis exponuntur.

§. II.

Quoad analysin calculorum horum chemicam, TEICHMEYERUS *t*) quidem scribit: Calculos felleos leni destillatos igne dedisse paucillum Phlegmatis, post oleum limpidum & flavum, tum obscure flavum, tandem rubicundum, & ultimo successisse nigricans empyreumaticum. Retortam ab igne colliquatam exhibuisse carbonem atro-fuscum, striatum, colore atque splendore metallico, antimonio aut smiridi simili, sed levem. Addunt alii, lapillis etiam his inesse sal alcali fixum, & volatile cum terra, de quo vel ideo non dubitamus, cum omnis carbo habeat aliquid terrestre, volatile alcali sit proprium liquoribus animalibus, fixum autem facilis hujuscemodi lapidum colliquescentia spontanea demonstrat; neque vero fidem illis denegamus, qui asserunt, acidi se vestigia etiam in his observasse concrementis, cum non modo Chemia undique doceat, acida coagulis admodum favere, sed & acidis e cibis acescentibus, & potibus vinosis, ac spirituosius proxima porta pateat ad bilis vias, quid quod experientia testetur, eam sæpe ab acidis mutari & perverti? Plurimum vero etiam continere hos calculos aëris, ita quidem, ut calculus talis emittat aërem, quantum sufficit ad replendum spatium ipso 648ies majus, cum vesicæ urinariæ cal-

Chemica
calculorum
felleorum
analysis.

a) loc. cit. not. i) §. 6.



calculi aër occupet tantum spatium ipso 645ies majus, experimentum STEPH. HALES *u)* docuit.

§. 12.

Cum grano
salis adpli-
canda hu-
mano cor-
pori vivo.

Modo notemus nobis, hæc quidem principia nunquam sufficere in explicandis animalis vivi corporis phænomenis, in hoc enim, ut in humano subsistam, præterea cogitandum est: calculis, quos GAUBIUS *x)* *retentorum* classi adnumerat, licet addat, nec male aliorum referri, docente medica historia, maxime primas vias, & quæ tum bili, tum lotio destinatae sunt, officinas obnoxias fieri, ut dixeris, humores, qui crudiorum permixtioni præ reliquis patent, præcipue lithiasin contrahere. Porro, quemvis fere calculum in centro monstrare nucleum, primæ crustæ basin, quam orbes alii aliis oppositi, externi majores internis ambiunt, incrementi paulatim facti indices, nec satis constare, utrum ab ipsa bile semper, atque unice materiam suam habeant, licet in hujus officina inveniantur; agnoscendam tamen insuper esse dispositionem quandam singularem, internam, hæreditariam, connatam, aut post nativitatem acquisitam, qua, ceteris paribus, alius præ alio magis in lithiasin propendeat. Vnde patet, simplicissima principia physica privatae nostrorum humorum & vasorum indoli, & bilis præsertim applicata sufficere huic lithiasi explicandæ.

§. 13.

Physicum &
Chemicum
bilis cysticæ
naturalis
examen.

Quod ut tanto evidentius pateat, colligamus phænomena bilis, maxime cysticæ, naturaliter in homine sano, ubi recens, liquidæ, ad sensum homogeneæ, spissæ, ut vix per charitam emporeticam transeat, odoris fatui, tamen acris, ut plus quam ullus liquor animalis, oculum lædat, saporis amari, coloris flavi, aut e flavo viridis, quin & saponaceæ, abstersivæ ad tactum, qualis apparuit in experimentis omni cura captis
a Cla-

u) Statical Essays, containing vegetable Statick. Lond. 1738. Analysis of the air, p. 195. *v)* Institut. Pathol. medic. edit. Lugd. Batav. 1758. § 566. p. 292 & 298.

a Clariss. GAUBIO, celeberrimo Prof. Leidenfi, w) sumfit autem bilem bubulam, eamque invenit graviolem aqua, leviolem sanguine feroque, ad aquam habuit se, ut 810. ad 795. i. e. ut 102. ad 100. vel ut 54. ad 53. A salibus alcalibus, vel fixis, vel volatilibus nulla orta est effervescentia, liquor tamen turbatus; ab affuso aceto fortissimo, acidis fossilibus, ut nitri, olei vitrioli, non intumuit bilis, sed coagulata semper est, & albicans evasit, coagulum cum omnibus acidis evenit, & semper color mutatus, alcali fixum aliquantulum quidem coagulavit, sed agitatio iterum solvit, alcali volatile hoc non effecit, nihil mutavit, sed eam tantum diluit, prout etiam salia media fecere; alcohol vini etiam dedit aliquid coaguli, sed spiritus vini vulgaris non item, adeoque bilis nec acida, nec alcalica demonstrata est. Nihil in corpore humano citius & pejus putrescit, quam bilis, neque unquam observata est acida facta. Sed sponte sua in loco tepido mox rancescit, detestabile olet, & post longum tempus *ambrae odorem* contrahit, BOERHAAVIO x) observatio est. Pergit GAUBIUS de felle bubulo: Bilis recens, & sana, vase clauso exposita calori nostro nativo citissime putrescebat, odor evasit putridus, sapor acerrimus, color profundior, & natum est verum Sal alcali volatile, divisit se liquor in 2. partes, alteram calculosam, subsidentem, alteram liquidam, supernatantem. E balneo maris igne successivo destillatae unciae duodecim dedere aquam insipidam, copiosissimam, decem unciarum cum dimidia, in qua nec oleum, nec spiritus, nec salinum quid fuit, singularis tamen odor; in fundo solidum instar extracti mansit. Hoc residuum fuit paucum unciae unius cum dimidia, nigrum, piceum, saporis amari, & nauseose dulcis, quod in aëre deliquium passum est, in igne fluxit, & arsit, aquae, spirituique vini tincturam dedit, quae major fuit in alcohole, putredini non amplius obnoxium; idem residuum trium uncia-

w) Dissert. Francisc. Jac. Narcissi, Stralsund. de generatione, & receptaculis chyli, Lugd. Bat. 1742. x) Praelect. Acad. in proprias instit. rei med. c. notis Alberti Halleri Vol. I. Göttingæ 1739. p. 355.



ciarum e cornuta dedit spiritum e flavo albescentem, volatilem, & fere alcalinum, oleosum, dein sal volatile, quod cum spiritu pondere unciam unam, drachmas duas æquavit, fortiore ignis gradu dedit olei copiosi, e flavo rubri, spirituque ipso levioris drachmas sex, fortissimo igne oleum picum, priore ponderosius, vitri fundo adhærens, unde relictus fuit carbo sex drachmarum, qui combustus dedit cineres terrestres, in quibus aliquid alcali fixi. Mixta bilis cum oleo destillato sabinae, balsamoque peruviano post multum attritum connubium tandem subiit, citius autem unio contingit in resina jalappæ cum bile trita. Cocta bilis cum lacte non coagulabatur, sed potius tenuius reddebatur lac, quod postea repositum, nec coagulum, nec acedinem contraxit, imo vero coctum est coagulatum cum bile lac, recepitque hoc fluorem pristinum. Bilis exactissime putrefacta, & leni calore per multum tempus digesta, dedit spiritum alcalicum volatilem, phlegma sale volatili minime saturatum, oleum & carbonem nigrum, qui crematus reliquit cineres insulsos, unde omni modo conficitur indoles & mixtura saponacea bilis. Placeat autem conferre quoque cum prioribus experimenta, quæ BAGLIVUS y) cum bile vervecina, humana ipsa, vitulina, & bubula instituit & descripsit.

§. 14.

Genesis calculorum;
felleorum
in vivis corporibus humanis.

Propius jam eundo in rem, quæramus Causas, quæ calculos tales generari faciunt felleos in ipso homine vivo? Proxima utique ponenda erit in coadunatione majore, atque inspissatione bilis, ad hanc denique cohæsionis firmitatem aucta, qua calculi apparent; eam autem in liquore per se spisso non adeo difficilem esse, maxime, ubi cogitamus innumera ostia vasorum resorbentium in receptaculis & meatibus hujus generis, in quibus mutata proportio resorptionis & exhalationis plurimum mutat, nemo non videt. Cum interim animalem œconomiam sapientissima conditionum omnium coordinatione ubique sollicite cavisse observemus declinationes a statu

y) Oper. omn. Dissert. III. de experimentis circa bilem &c. p. 436—439.

statu integritatis, vel sanitatis omnes, illibatis manentibus
 omnibus illis conditionibus, nullibi; adeoque nec hic habe-
 bimus, quod metuamus, mutationem talem præternaturalem.
 Quodsi vero consulimus Physiologiam, inveniemus, condi-
 tiones plurimas esse, quæ concatenata quasi serie causarum
 concurrunt ad libertatem secretionis bilis, ad conciliandas illi
 nobiles qualitates istas, ipsius etiam consistentiæ, quas bona &
 naturalis habet, alias in ipso viscere secretorio, alias extra il-
 lud. Pertinent huc: laudabilis constitutio massæ sanguinis to-
 tius, plena libertas ejus circuli, & æquabilitas, tam per præ-
 cipua vasorum sanguineorum systemata, quam in specie per ea,
 quæ hepatori proxime serviunt, aut vicinum certe cum his com-
 mercium habent, plena libertas organi secretorii, præsertim
 quoque receptaculi, ductuumque tam organi, quam recepta-
 culi excretoriorum, omni ab obstructione non minus, ac pres-
 sione immunis, ingestorum in tubum alimentarem talis quan-
 titas & qualitas, quæ non aliena nimis a nostra natura sit,
 quæ satis dilui, temperari, subigi, & in liquores satis flu-
 xiles permutari queat, neque sua etiam ex indole nimium con-
 tinuo materiæ præbeat nunc huic, nunc illi largius & secer-
 nendo, & accumulando liquori secernendo. At vero innume-
 ras esse partim evitabiles, partim inevitabiles causas & condi-
 tiones, illas sanitati præscriptas perturbantes, quibus obnoxium
 est corpus nostrum, quis nescit? ita ex ratione temperamen-
 ti, quin & per senectutem spissior est sanguis, e debilitate va-
 sorum, & viscerum concipit sæpe universa sanguinis massa
 majorem visciditatem, aut suffocatur circulatio & retardatur
 e plethora, quare ceteris paribus feminis hi calculi leguntur
 frequentiores, obesitate, per spasmos & constrictiones vaso-
 rum nunc latius discurrentes, nunc particulare hoc, illudue
 vasorum systema, v. c. uterinorum, hæmorrhoidalium, lie-
 narium, aliorumque viscerum abdominalium prehendentes,
 unde hystericae passionis, uterina excretio diu retenta, fluxus
 hæmorrhoidalis anomalus, hypochondriacæ congestiones an-
 tecedunt non minus, ac comitantur hos calculos; per subtra-
 ctio-



Etionem necessariorum motus subsidiorum, exercitii muscula-
ris, maxime, ubi vita otiosa, sedentaria junxerit compressio-
nem frequentem abdominis, cum prono & incurvato corpore
multum, diuque sedemus, ut literati sæpe solent; & prout
etiam observatio docet, lætiores humorum progressum ju-
vari mentis serenitate, viriumque illius moderato usu, sic acio-
res contra ejus intentiones diutius protractas, animi vehe-
mentiora pathemata, crebrius admissa, iram præsertim, ter-
rorem & tristitiam observamus circulationis æquabilitatem
perturbare, motum retardare, quin primario insidiari syste-
mati V. P. 2) unde plurimum suum sanguinem cum materia
bilis hepar accipit, qui cum per se pigrius ex rationibus fa-
bricæ omnibus, ipsaque indole humorum admixtorum fluat,
tanto facilius in stagnationem ruit, eam autem, ut gutta cavat
lapidem, juvare possunt: frequentiores violentæ pressiones,
& distractiones vasorum horum a plenioribus inspirationibus
repetitis e vociferationibus, inflationibus instrumentorum mu-
sicorum, distentione universi alimentaris tubi crebra per fla-
tus, nimiam ciborum, potuumque copiam brevissimis exce-
ptam intervallis. Lentorem autem & spissitudinem particula-
rem cruoris V. P. directe augent: victus in universum siccior,
& parcior relative, potus aquosus, idem qualitate peccans glu-
tinosa, ut abusus cerevisiæ crassioris, ciborum glutinosorum,
tenacium, ipsius sicci panis, ex aliis farinaceis, nimis den-
satis, leguminosis, radice solani etiam tuberosi esculenti pul-
posa, dulcium, saccharatorum pinguium, quæ posteriora bi-
lis quoque materiam oleosam nimis accumulans; carniū &
animalium partium aliarum nimis tenacium, pinguium &
glutinosarum, ut ex anguillis, salmonibus, aliisque piscibus,
carne vervecina, suilla, cochleis domiportis, ostreis, ovis
ad duritiem coctis, caseo nimis densato, & quæ sunt similia.
Notan-

2) Legas observationes horum effectuum ex animi pathematibus prolixio-
res in Oratione Præsidis de animæ imperio in nervos non voluntario, in-
serta Clariss. Dn. Prof. *Henr. Guil. Clemmii* nov. Amœnit. litter. Sturg.
1762. edit. Fascic. I. p. 84, sqq.

Notandum vero est præterea, glutinosa hæc in primo statim limine generationi calculorum intra cystidem pollicem premere, dum accumulata nimis in duodeno, patens eo ductus excretorii communis bilarii ostium farciunt, & hac emphraxi omne bili ex hepate in duodenum evacuandæ præcludunt iter, quare tum hæc in folliculo stagnat, & accumulatur. Sed similem effectum habet abusus vinosorum austeriorum adstringentium, & spirituosorum, acida enim, adstringentia & spirituosas non tantum sensim & sensim cogunt, & coagulant humores, verum & vivi corporis fibras & canales contrahunt, indurant, sicque arctant canales in angustiores diametros, vix transmissuras tandem liquida; refero etiam huc fructus immaturos & austeros, intempestivum usum adstringentium medicamenti titulo largius admissorum, quin & frequentiore potum, aqueum etiam, simpliciter gelidiorem, nam & frigus humores cogit, fibras & vasa contrahit; unde tantopere interioribus nocet, nudæ cuti, vel negligentius tectæ, maxime pedum & abdominis admissum, per nervos maxime propagatum, hinc & abusum bellariorum glacialium, gelatarum frigore nimis blandientium, non dubitamus huc quoque suam conferre posse symbolam. Prætereo causas præternaturales dictas, contractiones cystidis, & ductuum spasmodicas frequentes, idiopathicas & consensuales, ex intestinis & utero, aut quando vel acuti, vel periodici, vel chronici morbi nimiam relinquunt in humoribus spissitudinem, atrabiliariam præsertim, in vasis rigiditatem, præcipue in systemate V.P. unde nova continuo porta congestionibus, & stagnationibus aperitur; sed notatu dignissimas in praxi reputaverim eas esse, quas aut ipsi hepatis, aut viciniae ductuum excretoriorum tantopere insidiari, & nunc in radices, nunc truncos horum per modum stenochoriæ, thlipsis, & tandem symphysis agere observaverunt. Huc pertinent scirrhosæ vel totius hepatis, vel certe partis ejus indurationes, & similes callosæ, scirrhosæque in ea duodeni parte, quæ choledochum excipit communem, referri etiam huc possunt observationes a FRID. HOFFMANNO aa)

D 2

alle-



allegatæ, alia ex epistola JAC. CAMENICENI ad Matthiol. p. 184. vidit is hepatis venas in parte cava ejus prius illum quam desinunt in portæ caudicem, obstructas lapillis eas distendentibus, foras nigris, intus flavescens. Alia e BORRELO, p. 326. ubi scribit: mole atque tumore glandularum arteriæ hepaticæ, fellisque ductui ad intestina tendenti adjacentium, choledochum illum ita compressum esse, ut vix aliquo conatu tenuissimis transitus esset instrumentis; alia, quæ similem compressionem, & occlusionem choledochi nascitantur ab excrescentiis carneis CABRULGUS, Obs. Chirurg. X. & MECKERN, Obs. Chirurg. 43. Quarta tandem ex observatione Argenterii Libr. VI. Aph. Hipp. in Cardinali quodam Florentino capta, qui post mortem icterum subortum exhibuit ab omnimoda choledochi exsiccatione, ac obstructione omne bilis iter intercipientem ad duodenum. Causæ hæ singulæ, nunquam solitariae calculum generant felleum, nec possunt, cum unitis viribus jugiter contrantantur vitæ, ac sanitatis vires, oportet ergo, quoties nascuntur calculi, confluere plures, vel paucas adeo fortes esse omni ex parte, ut superare istas vitæ sanitatisque vires possint. Corollarii denique loco e prioribus derivo aliam observationem, quæ hæc est: calculus felleus, vel in singulari numero, vel plurali, sæpe morbi faciem habet, pluries causæ morbi vices agit, multoties effectus, & symptoma est aliorum morborum, ipso morbo, ejusque causa graviorum, adeoque vix therapevtica dignum attentione.

§. 15.

Habent calculi fellei communia cum aliis humanis effecta, facultasque plurima, qua lædunt, mere mechanica est, effectusque producit admodum manifestos. Moles nimirum, pondus, durities, premit vicina, gravat, comprimit, canales obstruit, unde humorum transitus intercipitur, circulatio, secretio, excretio turbatur, impeditur. Motus, allisio, frictio atterit, irritat tenera solida, humores allicit, lacerat vasa, sic dolor, calor, spasmus, inflammatio, suppuratio

quan-

Calculi fellei
effectus,
phenomena,
symptomata,
signa in cor
pore huma-
no vivo.

quandoque, gangræna, callus nascuntur, continuum vero calculi, dum in corpore manet, incrementum etiam hæc auget mala, unde si ad singulas partes, harumque functiones & mutuos consensus applicatio fiat, plurimæ oriuntur magni momenti affectiones, ut GAUBIUS *bb)* habet. Specialius autem dum cogitamus, hic bilis & secretionem, & excretionem si non prorsus abruptam, tamen impeditam & parciorem procedere, ubi e physiologicis ruminamur bilis præcipuum usum, quem vivo præstat corpori, facile intelligemus, non posse non præsentibus his calculis languere actionem ventriculi, tenuiumque intestinorum in ingesta; præterea vero, licet, ut frequens experientia docuit, hi calculi, si quieti jacent, sæpe adesse possint absque ulla valde sensibili molestia, quin & impedita bilis excretionem, cujus rei possibilitatem etiam analogia calculorum renalium demonstrat, cum EUSTACHIUS *cc)* exemplum habeat juvenis, qui altero rene doluit, cruciatibusque adeo auctus est, ut misellus brevi moreretur, licet urina nunquam suppressa, neque tenuis, aut turbida, seu sabulosa esset, at in cadavere magnum exhibuit & oblongum renis lapidem, sed medium perforatum; confirmat etiam ulterius possibilis per fabricam aliqua libertas & vesiculæ ipsius, & ductuum excretoriorum, unde quoque intelligimus, cur passim absque ictero calculi esse possint? licet hæc ita se habeant, frequens tamen docet etiam experientia, ut supra in generalibus probatum est, acute sæpe lapillos hos irritare, lancinare, vellicare fibrillas nerveas vesiculæ, quas habet a Pari vago & intercostali, s. sympathetico magno, plexum hepaticum formantibus, qui totam ejus pererrat substantiam, hinc adeo sensilem, ab hoc stimulo est ille dolor fixus hypochondrii dextri circa sedem hepatis constans, semper vero cum aliquali remissione, pre-mens, gravativus, vel etiam acutus, cum foedo plerumque

D 3

faciei

bb) l. c. §. 581.*cc)* Barthol. Eustachii Opuscula anatom. de renum structura, officio, utilitate, & administratione, Delphis 1726. Cap. XV. p. 122.



faciei colore, interdum ad epigastricam regionem & scrobiculum cordis discurrens, quem pro *signo* calculorum felleorum *pathognomonico* declarat FRID. HOFFMANNUS *dd)* cum LANGIO, & aliis, is autem dolor ut plurimum jungitur illi molestiæ, ut ejusmodi ægrotantes non erecti, sed flexo incurvati dorso incedere debeant, dolor ille certis intervallis ita exacerbatur, ut tormina & cruciatus omne abdomen permeent; notabilis est casus Petermanni, quem habet in dissertatione de Scrutinio icterici e calculo vesicæ fellis, ubi æger ictero annuatim periodico cum doloribus afflictus est, quibus post evacuationem lapilli baccae lauri similis liberatus, altero anno post data convenientia remedia per alvum rejecit plus quam 60. calculos flavescentes. Comitantur ut plurimum dolorem hunc alii peripherici, colici, anorexia, nausea, vomitiones frequentes absque alia manifesta causa, dolor cardialgicus, anxietates circa præcordia, alvi segnities & durities, phænomena hypochondriaca, animi crebra deliquia, spirandi angustia, pectoris compressio, inquietudo in lecto, agrypnia, quibus tandem sæpe, non semper dirus & contumax, optimis haud cedens remediis accedit icterus, quem, si semel curatus, sæpius recidivat, declarat signum esse infallibile BAGLIVUS *ee)* oriri a calculo vesicæ fellis. Quidam afflictorum continuo ventris tormina habent, vitamque multos per annos misere trahunt, plurima pars hydrope perit; in quibusdam gravativus, obtusus, profundus, & satis contumax cum sensu ponderis dolor per sentitur, idque plerumque fit, quando minoribus, & mollioribus calculis folliculus felleus valde distenditur. Dolor idem, si crescit, & acutior manet, universum systema nervosum in consensum trahendo vehementes valde spasticas stricturas, non tantum in vicinas, sed & remotas partes diffundit, brachii, artuumque distensiones facit, convulsiones epilepticas, quin & cum pulsu duro & celeri febrem, indicat tum, calculum mole non minus

dd) Med. ration. system. Tom. IV. P. II. cap. III. §. 15. p. 267.

ee) Oper. omn. L. I. Prax. med. p. 83.

minus ac asperitate insignem firmiter bilariis ductibus inhæ-
rere. Comitatur sæpe quoque icterus, quin & habitus cor-
poris cachecticus. Certissimum calculorum præsentium si-
gnum præbent ipsi de abscessu in hypochondrio dextro &
hepate formato prodeuntes, & exempti, vel per alvum sece-
dentes, ut habentur exempla non rara spontanei, & arte con-
ciliati secessus talis cum plena euphoria & cessatione dolorum
insecuta; judicantur autem, qui molliores, & habitus to-
phacei magis, gypsei, colore diluti magis apparent, ex he-
paticis prodiisse ductibus, qui minores, & simul asperi, du-
riores, angulosi, colore obscuriores, folliculi fellei hospites
fuisse. Variantem admodum omnium symptomatum & phæ-
nomenorum prolixam historiam legas in Celeb. BIANCHI
historia hepatica ff) breviorē habet EBERHARDUS gg)
capite de calculo felleo.

§. 16.

Quænam igitur prophylaxis horum calculorum felleo-
rum, seu quod consilium ab iis præservatorium adornari po-
terit? Omne heic punctum absolvet sollicita evitatio & sub-
latio causarum illarum omnium genesi calculorum faventium,
quas §. 14. exposuit, quantum scilicet in nostra est potestate,
cum enim nunquam una, vel paucae pares sint resistentiæ
contra vires impediētes calculi generationem, nulli dubita-
mus, quin hoc solum consilium tutissimum, & certissimum
sit prophylacticum.

§. 17.

Qui vero rationalis dabitur methodus, calculos hos &
dissolvendi, & eliminandi? Dolores enim sopire ab iis exci-
ratos facile poterimus oleosis, & mucilaginosi; & constan-
tiorē forte heic quoque opem ferret *uva ursi* a Cl. de HAEN
Rat. Med. Part. alt. Cap. XII. p. 191. seqq. & P. IV. Cap. VII. p. 234.
seqq. in calculo vesicæ tantopere laudata? sed problema versatur
circa ipsos calculos eliminandos, de quibus ita judicamus:
ubi per abscessum in hypochondrio dextro ruptum extus
por-

Prophylaxis
calculorum
felleorum.

Therapia
horum cal-
culorum.

ff) Tom. I. P. III. p. 482. seqq.

gg) Conspectus medicinæ theoreti-
cæ in tabulas redactus, Halæ Magdeb. 1761. Part. II. p. 571. seqq.



portam inveniunt, facile succurret chirurgia, præscriptura leges, quibus ad plenam usque calculorum eliminationem hæc aperta tuto conservari possit? si per alvum expellere Natura inceperit, absque multa difficultate Medicus prudens hæc illius vestigia secuturus poterit ægros liberare blandissimis & levissimis laxantibus, observato simul consilio §. 16. prophylactico. Sin vero calculi effectus fuerint Cacochymiae profundioris atrabiliariae, labis aut ipsius hepatis, aut reliquorum simul viscerum abdominalium extantioris, frustranea erunt conamina contra calculos ipsos omnia, & solis procul dubio illis in casibus medelæ locus erit, ubi calculi nascuntur, & nati sunt ex obstructione ductuum tantum excretoriorum bilis, & vitia tam ipsius hepatis, quam reliquorum abdominalium viscerum, aut nulla sunt, aut parvi certe momenti, quin & cacochymiam cruoris V.P. similem suspicari licet, nec majorem, hoc vero in casu tanto major erit aliquid, & multum lucrandi contra morbum spes, quanto faciliorem indoles horum calculorum præ urinariis solutionem, & colliquationem, ipsaque locorum, per quæ agendi sunt, opportunitas expulsionem promittit, ab ipsa jam præmonstratam in exemplis Natura. Et plurimum quidem hoc impetratum iri scopo mihi persuaserim & prudenti & sollicita consilii prophylactici §. 16. applicatione, maxime, si diæta medicata commendetur talis, qualem atræ bili, & ejus effectibus opponi suasit THEOD. WILH. GARZWYLER *hh*) cibi dandi leves, liquidi, sanis humoribus similes, blandi, vi leni saponacea laxantes, atque in horum usu diu persistendum, sint juscula carniū diluta, lac ebutyratum, cui incoxere cichor. endiv. tarax. lactuc. &c. addatur quid Cremor. tartar. Chærophyll. apium, scorzonera cum sero lactis cocta, idem valent, mollia dein recentia olera; ut lactuc. endiv. spinach. asparagorum turiones, & fructus horaei *cocti*; est enim mirabile prorsus, & jucundum in observationibus legere, quantum sim-

hh) Dissert. de Bile atra, ejusque effectibus, Lugd. Bat. 1742.

simplici hac præstet, valeatque Natura methodo? quæ, si non sufficeret, ars imitatura Naturam posset addere usum levissimorum laxantium, parcis dosibus repetendorum; eo inservire fine possent manna soluta, pulpa cassiæ, dosi uncia dimidiæ omni mane exhibita e sero lactis, sal catharticum Anglicum, Sedlicense, vel aliud analogum, ad drachmam tantum quatuor aquæ unciis solutum, horum usus eo usque continuari deberet, donec aut alvus esset humida satis, aut secederent jam calculi, tum sufficeret procul dubio diæta modo laudata. Præferrem hanc methodum simplicissimam aliis, quarum quidem laudi nihil detractum esse velim; ita plurimi scopo resolvendi suadent usum salinorum, tam volatiliū, quam fixorum alcalinorum, æque ac salforum, amara decocta, martialia, Spiritus, & salia volatilia oleosa; FRID. HOFFMANNUS loco proxime allegato ii) remedium anti-ictericum Avicennæ, paratum e lumbricis in pulverem confusis, calculis felleis etiam opponi suadet, SYLVIVS kk) commendat spiritum nitri dulcem, alii millepedes, vel vino infusos, vel in pulverem tritos, alii scopo prophylactico verno tempore thermas laudant Wisbadenses per plures dies, æstivo acidulas Swalbacenses, alii, ut iterum SYLVIVS l.c. radicem, & herbam graminis canini recentem tanquam specificum laudant, destillationi subjectam, vel, quod præstare putant, decoctam, aut succum expressum addito saccharo, vel melle ad gratiam, tantoque certius sibi persuadent, utilem futuram, cum ad observationem provocant, qua sciatur, boves & oves, in quibus per hiemem a sicco fœni pabulo lapidea in ductu bilario crusta concreescere dicitur, ubi mense Majo gramine rursus fruuntur recente, viridi, sensim ab hoc affectu p.nli liberari. Legas ab aliis remediū loco proponi radicem *Pareiræ bravæ*, ad drachmas duas in aquæ libra una leviter decoctas, certe Historia Academiæ Regiæ Parisinæ ll) memorat, icterum felleum cum torminibus,

E

&

ii) not. aa.

kk) Prax. Med. L. I. cap. 45.

l'Acad. Royal. des Scienc. ann. 1710. p. 76.

ll) Histoire de



& vehementi dolore in regione hepatis intra 24. horas ex hoc decocto discussum esse. Multi experimento HOFFMANNI, quod habet in clave SCHROEDERI pharmaceutica, L. IV. S. I. §. 129. capti, curcumæ radicem extollunt, hujus enim pulveris, scribit ibi, drachma dimidia, cum calida cerevisia butyrata data intra bihorium aliquot lapillos felleos per alvum expulsos, & conjunctos acutissimos dextri hypochondrii dolores in quibusdam sublato fuisse. Denique, ut nihil intactum relinqueretur, inculcaverunt alii, sic habet præcipue observatio Miscell. Nat. Cur. Dec. I. ann. III. 283. lapidem felleum famosissimum, & auro longe cariorem, qui dicitur, *Lapis Porcinus*, *Hystricis*, *Pedra de Porco*, *Piedro de Puerco Lusitanis*, *Masatius*, & *Acheron* aliis, a scrupulo uno, ad drachmam dimidiam ex idoneo vehiculo, contra fellis coagula humana propinquandum, prolixè describit eum una cum aliis Indiæ orientalis & occidentalis brutorum Cholelithis KAEMPFERUS^{mm}); ampliore stilo, si non plus, quam fas est, hyperbolice thrasonico laudes medicatarum virium extendunt quædam Commercii litter. Noric. loca,ⁿⁿ) sed alibi amarum ejus infusum tanquam antihydopicum commendant remedium. Si quid certe valeret contra concrementa biliosa, quidni etiam ipse Cholelithus humanus, plus humani habens, ac ille brutorum? sic, quæ corpora delicti dissertationis hætenus fuere, Morbonæ servi, speciosa medicamentorum veste ornarentur, Meditrinæ instrumenta, sed a priori decidere nolim. Faxit modo Supremum in cœlis Numen, ut qualiacunque hæc meletemata in Sui gloriam, ægrorumque multorum salutem cedant!

F I N I S.

^{mm}) Amœnit. exot. Lemgou. 1712. Fascic. II. p. 392. seqq.

ⁿⁿ) Ann. 1735. hebdom. II. & ann. 1736. hebdom. XXXI. p. 245.

